



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

6. V. sit poßibilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

has actiones distinguere ex parte dispositionum, nam eo modo quo concurrunt in prima productione, poterunt concurrere in secunda, nisi aliunde sit specialis repugnancia, quæ assignari non potest. Solum ergo poterit esse differentia in modo efficiendi ipsas dispositiones, quæ differentia accidentaria est, & valde remota respectu ipsius actionis substantialis, & in se considerata, fortasse non est essentialis, ut argumentabamur in principio huius dubitationis. Deinde illa duplex ratio efficiendi in Deo in præsentem solum videtur pertinere ad quandam extrinsecam denominationem, non ad Physicam rerum distinctionem, quia quod concursus sit debitus, vel non debitus, non sufficit ad diversitatem Physicam si alias non sit distinctio in termino, vel in modo agendi: sicut in rebus naturalibus motus violentus & naturalis, si ad eundem terminum tendant, non differunt specie intrinseca, sed denominatione: quia unus est consentaneus naturæ, alter vero non. Et similiter in materia de gratia propositio alicuius obiecti, & inspiratio aliqua, vocatur donum gratiæ, & supernaturale, quando datur præter naturæ debitum & ordinem, quamvis ipsa motio in se sit naturalis: ergo idem erit in præsentem. Quod præterea ita declaro; Cum Deus per resurrectionem infundit animam corpori, quamvis operetur in materia ultra debitum naturale, non tamen ultra naturalem capacitatem materiæ: quia reuera ibi materia concurret per naturalem potentiam passivam qua est capax animæ, hæc enim semper est eadem & immutabilis, siue anima prius fuerit in anima, siue non: ergo etiam tunc Deus operatur ut principium naturæ quoad actionem quam efficit, quamvis quoad debitum liberalius operetur, quam natura posset. Sicut si Deus illuminaret hunc aerem sine sole, vel alio luminoso, aliquid quidem faceret ultra naturæ debitum, tamen id quod faceret eiusdem rationis esset cum alio lumine & illuminatione naturali. Quin potius addo ulterius etiam sub hac ratione debiti nihil deesse substantiali vnioni, quæ fit in resurrectione, secundum se considerata, sed tantum ratione dispositionum. Ille enim modus organizationis & dispositionis, qui fit in resurrectione, est quidem præter totius naturæ debitum, tamen positus illis dispositionibus, ratione earum potest dici debita talis animæ vnio, quia oportet dispositiones tales esse, quæ talem animam requirant: nam futura est inter eas naturalis connexio, ergo ex nullo capite intelligi satis potest, quod hæc actio quæ in resurrectione interuenit, sit alterius rationis aut ordinis. Confirmatur tandem: nam si Deus annihilaret angelum, & iterum eum producat, hæc secunda productio, non erit specie distincta à prima, sed essentialiter erit creatio. Et similiter, si Deus, quando peccatorem qui à priori gratia exciderat, iterum sanctificat, eandem numero gratiam quam prius habuerat, illi restituat, illa actio non erit specie diuersa à priori gratiæ productione, ergo similiter in præsentem.

Tertius ergo dicendi modus est, actionem qua fit resurrectio, esse naturalem quoad substantiam, supernaturalem tantum quoad modum, & ideo non esse diuersam essentialiter à prima hominis productione naturali, sed tantum differre accidentaliter in modo organizandi, & disponendi corpus. Hæc sententia aperte colligitur ex Scoto, in 4. dist. 43. q. 3. Marfil. q. ult. art. 1. Henric. quodlib. 11. qu. 4. qui existimat facta sufficienti corporis dispositione non esse necessariam nouam actionem intrinseci agentis, ut anima corpori iterum vnietur, sed solum prærequiri ut fiat intime præfens corpori: nam statim naturali impetu & causalitate vnietur ipsa corpori etiam ab intrinseco non amplius vnietur. Ipsa autem anima alibi existens, si non impediatur, potest virtute sua se facere præsentem corpori, & omnibus partibus eius. Atque ita concludit non esse necessariam

Fr. Suarez. tom. 2.

aliā actionem extrinsecam. Quæ sententia supponit etiam in hominis generatione posita vltima dispositione corporis & creatione animæ cum intima præsentia ad corpus, non requiri aliquam aliam actionem extrinsecam, sed ipsam animam statim naturaliter seipsam vnire, & quasi completi corpus. Quod si dicas illam vnionem requirere aliquod principium efficiens: responderi potest naturaliter resultare ab ipsa anima. Quæ sententia est quidem probabilis, sed nunc non potest examinari, nec est nobis necessaria. Itaque qualiscunque sit, & à quocunque sit hæc actio, quoad substantiam eiusdem rationis censetur. Et quidem si comparatio fiat inter resurrectionem & primam hominis productionem factam à solo Deo in Adamo, aut Eua, existimo hanc sententiam esse certissimam: imo credo solum esse differentiam in quadam denominatione: quia vna est productio rei quæ nunquam fuit, & simul cum prima animæ creatione. Altera vero est productio rei quæ iam iterum fuit, & non est simul cum animæ creatione, sed cum conseruatione: quæ differentia est valde extrinseca & accidentalis, ut rationes & exempla allata confirmant. Si tamen comparatio fiat ad generationem propriam, sic non est res tam certa: est tamen verisimilior, ut eadem argumenta probant. Supererat tamē ad perfectam huius rei cognitionem explicandum, in quo consistat ille supernaturalis modus resurrectionis. Nam, licet hoc ex parte tactum sit, non tamen est exacte declaratum, sed hoc fiet commodius sectione sequente.

SECTIO VI.

Utrum resurrectio sit possibilis naturaliter, vel supernaturaliter.

Explicata ratione resurrectionis facile potest hæc quæstio definiri, in qua non inquirimus an futura sit, vel aliquando facta fuerit (hoc enim posterius est tractandum, vel in speciali de resurrectione Christi, vel in generali de resurrectione hominum) sed inuestigamus quid Deus in hac parte possit efficere. In quo etiam considerandum est, posse esse sermonem de resurrectione vel præcisè, ut dicit resurrectionem & viuificationem corporis iam emortui, vel de resurrectione quæ præter vitam corporis, habet adiunctam transmutationem corporis ad vitam immortalem, impassibilem, & gloriosam. De hoc posteriori sensu nihil disputarunt Philosophi, tamen sine dubio multo magis illum modum existimarent impossibilem, quam priorem. Refert autem Tertulianus libr. de Præscriptio. hæret. cap. 7. omnes Philosophos existimasse resurrectionem impossibilem, ut carnus (inquit) resuscitatio negetur, de vna omnium Philosophorum (chola) sumitur. Vbi, licet non dicat illos existimasse esse impossibilem, hunc tamen fuisse illorum sensum, ex eorum principiis facile conijcitur. Aliqui enim illorum ideo negarunt resurrectionem, quia credebant animam vna cum corpore prorsus interire, atque idcirco negabant posse iterum ad corpus redire. Ita senserunt Epicurei, & Stoici, qui propterea Paulum resurrectionem predicantem, novorum demoniorum annunciatorem appellarunt, Actor. 17. Eodem errore laborauit Plinius libro 2. Historiarum capite 7. & lib. 7. capite 55. Nec solum Philosophi, sed etiam inter Iudæos Sadducæi in hoc errore versati sunt, ut constat Matthæi 22. Marci 12. Actor. quinto, vigesimo tertio, & vigesimo quinto, Mare 12. vbi Festo insanire visus est Paulus, eo quod resurrectionem predicaret, dices. Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitatur? & infra, Si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum: & eosdem imitatus est Marcion teste Tertulliano loco supra citato.

Rr 2

Alij

Scotus.
Marfil.
Henric.

Act. 21
Plin.

Matth. 22
Mare 12
Act. 5. 23.

Alij vero Philosophi qui posuerunt Deum agere a ex necessitate naturæ, quamvis animam humanam immortalē esse cognoscerent, existimant eam nec post separationem ad corpus redire, nec Deum posse naturalem ordinem immutare, & fortasse hoc modo sentit Aristoteles, & alij.

Ex hæreticis verò quamvis multi resurrectionem mortuorum negauerint, nō constat autem, an eam negauerint, quia putarunt impossibilem: vel solum quia non est animæ humanæ necessaria, vel utilis corporis societas: sed potius solet esse impedimentum ad proprias actiones exercendas. Qua ratione solent vti hæretici, & aliis sumptis ex corporum corruptione, & mortaliter, vt videre licet in Tertull. in lib. de resurrectione carnis. In quibus omnibus indicant posterioremodum resurrectionis esse impossibilem, & idēd priorem non esse conuenientem.

Secundo sententia extremē contraria referri potest eorum, qui dixerunt resurrectionem etiam naturaliter esse possibilem. Pro qua induci possunt Pythagorici, & alij. qui posuerunt transmigrationem animarum, vel eorūdem, aut similitum effectū perpetuam reuolutionem, vt Aug. refert 12. de Ciu. c. 13. Quamquam isti non de eisdem numero effectibus, sed de similibus loquuti fuerint. Propter quod illa etiam animarum transmigratione (vt supra dixi) non esset vera resurrectio. Quia non erat reditus ad idem corpus, quod notauit etiam Tertul. lib. de resurrectione carnis capit. 2. Democritus vero (vt ei tribuit Plinius supra) eadem corpora & posse reuiuiscere, & iterum viatura esse existimauit, ergo verisimile est credibile hoc esse naturaliter possibile. Et ex Scholasticis Scot. in 4. d. 43. q. 3. existimat posse idem numero per naturam redire, si eadem materia iterum appropinquetur eidem agenti numero, vel specie. Vnde inquit, si contingeret eandem materiam feminis: & sanguinis menstrui, ex qua Petrus fuit conceptus, iterum sub forma feminis, & sanguinis menstrui, & in matrice eiusdem vel alterius foemina constitui, formaretur idem corpus, quod antea conceptū fuerat. De vnione autem eiusdem animæ ait à solo Deo posse fieri: consequenter tamen dicit eam fieri à Deo naturali modo, ex debito naturæ, supposita eiusdem corporis dispositione. Et in eandem sententiam inclinat Richard. ibi art. 3. q. 1. ad 6. quatenus sentit, facta applicatione eiusdem materiæ eidem, vel simili agenti redire eundem numero effectum: D. Thom. etiam ibi art. 1. q. 3. huic fauet sententiæ, quatenus dicit resurrectionem futuram esse miraculosam, quia dispositio corporis non fit modo naturali per virtutem feminis. Nam hinc sequi videtur, si ponamus eandem materiam applicari, vt per virtutem feminis disponi possit, fieri etiam naturaliter posse, vt idem numero redeat. Et d. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. dicit per generationem naturalem nō redire idem numero, quia non fit ex eadem materia. Non videtur aut naturaliter impossibile, vt ex eadem numero materia, ex qua vnus homo fuit conceptus, postea fiat alia conceptio. Nam Angelus posset ita applicare actiua passiuis, vt post aliquas transmutationes rediret eadem materia: idemq; ex naturali cursu, & successione rerum naturaliumque causarum fortuitōd posset accidere. Pro hac etiam sententia referuntur Marf. & Henricus: sed hi nihil dicūt præter id, quod adduximus in fine sectionis præcedentis. Fundamentum huius sententiæ non est aliud, nisi quia si materia est eadem, & agens idem, effectus erit idem 8. Metaph. c. 3 quia tunc nō habent effectus, vnde distinguantur. Quod argumentum potissimum videtur vrgere, si supponamus materiam esse principium indiuiduationis.

Tertia sententia media est, resurrectionem hominis esse possibilem diuina, non naturali virtute: aliarum vero corruptibilium rerum nō esse possibilem reditum eiusdem indiuidui corrupti, etiam per di-

uinam potentiam. Ita sentit Durand. in 4. d. 43. q. 3. & Ioan. de Neapoli, quodl. 21. c. 6. Marfil. 2. de Gen. q. vlt. Quibus videtur multū fauere D. Th. in 4. d. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad 1. Vbi dicit hominem posse resurgere, quia, cum post mortem maneat anima, quæ dat esse homini, nō interruptitur per mortem esse substantiale ipsius hominis, & ideo nō sequitur, vt nō possit idem numero redire propter interruptionem essendi, sicut accidit, inquit, in aliis rebus corruptis, quarum esse omnino interruptitur, forma nō remanēte. Et in solad 3. ex hoc principio dicit, si in homine esset alia anima sensitiua præter rationalem, illā futuram esse corruptibilem, & id nō fore rediturā eandem numero in resurrectione. Supponit ergo, non posse eandē numero formā corruptibilem redire. Præterea hac 3. p. q. 77. ar. 5. sentit fieri non posse, vt, quod in nihilum redactum est, idem numero redeat. Fundamentū huius sententiæ, quoad postremā partem (in cæteris. n. non est difficultas) potissimum esse videtur. Quia multiplicata actione, multiplicatur terminus: sed actio, qua prius res fuit producta, & conseruata, non pōt redire eadem numero, ergo nec terminus. Probatur minor, quia si actio posset redire eadem numero, et successiua posset eandem numero redire. Alia argumenta congerit Durandus parui momenti, infra verò ea attingemus.

Dico primo, resurrectionem hominis, saltem diuina virtute esse possibilem. Hæc conclusio est de fide, imo in articulis fidei contenta, & ideo in ea probanda non oportet hoc loco immorari. Quia eisdem testimoniis probanda est, quibus infra probabimus, vel resurrectionem Christi esse factam, vel aliorum hominum esse futuram. Præterea, quæ in Scriptura legimus de hominibus à Christo suscitatis, vel ab aliis Prophetis, vt Elia, & Eliseo, vel ab Apostolis, factis conuincunt contra hæreticos substantialem hominis resurrectionem esse possibilem. Quod autem sit etiam possibilis resurrectio corporis mortalis ad vitam immortalem, & gloriosam, nō pertinet, proprie ad punctum de resurrectione, sed ad supernaturalem potius beatitudinem. Illud autem probabimus inferius agentes de dotibus corporis gloriosi. Contra Philosophos verò, qui non admittunt Scripturam, agendum est ratione naturali, quæ quam vim habeat ad hanc conclusionem probandam, dicam in sequentibus.

Dico secundo, Resurrectio, vt sit de facto, solum diuinavirtute, ac supernaturaliter possibilis est. Hæc conclusio est mihi certa, quam docent omnes Theologi in 4. d. 43. & 44. vbi D. Tho. Palud. Durand. Richard. & alij. Idem D. Th. quodl. 4. art. 5. & 4. contra Gent. c. 81. Henr. quodl. 7. q. 16. Ægydius theoremate 2. Et constat ex communi modo loquendi Sanctorum: Dionys. c. 6. de diuinis nominibus. Nos (inquit) rotos animas dico, & socia corpora ad perfectam vitam, & immortalem transferre pollicetur. Quod veteribus quidem præter naturam fortasse videatur: mihi vero, tibi que & veritati, & diuinum, & supra naturam, vt est, videtur, supra naturam nostram dixerim visibilem: non supra omnipotentem. Laet. lib. 7. diuinarum institutionum c. 23. Resurgens (inquit) & à Deo corporibus induentur, & infra. Quæ de anastasi Philosophi. quog. aliquid dicere conati sunt tam corrupte, quam poetæ: & infra. Nemo quærat à nobis, quemadmodum fieri possit, neque enim diuinorum operum potest reddi ratio: sed si à principio Deus hominem, nescio quo inenarrabili modo instituit, credamus ab eodem restitui veterem posse, qui nouum fecit. Et Gregorius homilia 20. in Ezech. postquam multa de resurrectione disputasset, ita concludit. Diuina virtutis mysterio, quæ comprehendendi non possunt non intellectū discutienda sunt, sed fide veneranda. Quia quidquid ratione hominis comprehendendi potest, mirum iam esse non potest, sed sola est in miraculis ratio potentia faciens. Et ad eundem modum loquitur Damascen. lib. 4. de fide cap. 28. Chrysostomus hom. de resurrect. & homil. 65. in Ioannem, & homilia 2. in Actor.

Tertul.

August.

Tertul.

Plin.

Scotus.

Richard.

D. Thom.

Marf.
Henric.Durand.
Ioan. de
Neapol.
Marfil.
D. Thom.Resurrectio
hominis di-
uina virtute
possibilis.Resurrectio
futura diuina
virtute pos-
sibilis.
D. Thom.
Palud.
Durand.
Richard.
Henric.
Ægyd.
Dionys.
Laetianus.

Greg. Pap.

Damasc.
Chrysost.

Astor, ubi dicit longe maius esse excitare mortuos, quam scire diem iudicii. Et hom. 8. in 1. ad Thess. dicit, resurrectionem esse diuine virtutis opus. Ambros. lib. de fide resurrectionis. Ideo (inquit) resurrectio difficile creditur, quia Dei munus est. August. etiam si 13. de Trinit. Fides (inquit) totum hominem immortalem futurum, qui viui, constat ex anima, & corpore. non argumentatione humana sed diuina auctoritate promittitur. Et multa similia 22. de Ciui. c. 4. & sequentibus. Denique hoc modo veritas resurrectionis inter articulos fidei annumeratur, quia, prout a nobis creditur, nec fieri, nec naturaliter cognosci potest. Et propter eandem causam Paul. 1. ad Cor. 15. eam appellat mysterium, dicens, Ecce mysterium vobis dico. Et ad eundem modum loquitur sepe Scriptura de resurrectione, tanquam de diuino, ac supernaturali opere. Ratio autem huius veritatis reddi potest ex duplici capite. Primo ex parte termini, quia non utique resurget corpus humanum, sed immortale gloriosum, & (vt Paulus loquitur) spirituale. Constat enim huiusmodi proprietates neque esse naturales corpori humano, neque virtute alicuius naturalis agentis conferri posse. Item constat, beatitudinem animæ esse supernaturalem: sed hæc resurrectio corporum erit beatitudini animæ proportionata, erit ergo supernaturalis ex parte termini. Et hac ratione potissimum vtuntur Sancti supra citati, eamque magis explicabimus, cum agemus de dotibus corporis gloriosi. Secundo potest ratio sumi ex modo, quo fiet corporum resurrectio, & hac vtuntur D. Thomas, & fere alij Scholastici. Hic autem modus ex parte dispositionum corporis sumendus est, & potest constitui vel in celeritate resurrectionis, vel in hoc, quod sine variis transmutationibus, quæ necessariae sunt, vt homo generetur, solo Dei imperio perficietur. Quibus modis est supernaturalis, gratia fanitatis, quamuis ex parte termini id, quod fit, sit omnino naturale. Et hanc rationem tetigit Chrysostom. in supra dicta hom. 8. in 1. ad Thess. dicens, Resurrectio diuine virtutis est, cum telluri mandabit Deus vt depositum reddat, quemadmodum aliquando euocauit Lazarum, Lazare veni foras, &c.

Dico tertio, Resurrectio, etiam si præcise consideretur, vt est reparatio eiusdem numero hominis, qui antea fuerat, non potest virtute alicuius agentis naturalis fieri, sed à solo Deo. Loquor de agentibus naturalibus operantibus naturali virtute, vt causis secundis principalibus, vel vt instrumentis naturalibus earum. Nam loquendo de creatura, vt instrumento Dei supernaturaliter eleuato, non est dubium, quin eo modo possit resurrectio fieri per creaturam: tamen quia in hoc non est aliqua particularis ratio magis, quam in alijs miraculis, id omitimus, & sub diuina potentia comprehendimus. Et hoc modo conclusio posita communis est Theologorum, in 4. dist. 43. & 44. vbi D. Tho. Sot. & alij supra citati. Et confirmari potest ex difficultate, quæ semper fuit in credenda mortuorum resurrectione, non solum propter specialem modum, quo futura est, quia nec philosophi illum agnoscebant, nec semper ab Apostolis prædicabatur: sed simpliciter, & absolute propter reparationem eiusdem numero corporis, quod ceciderat. Vnde & in credenda ipsa Christi resurrectione tanta fuit discipulorum difficultas, & ignorantia, vt viderentur illis deliramenta verba, quæ de illa dicebantur. Ratio vero propria huius conclusionis sumenda est ex parte organizationis, & dispositionis corporis. Quia in primis vix fieri potest, vt eadem numero materia prima, ex qua fuit corpus hominis formatum, iterum ita applicetur, vt per causas naturales possit ex ea homo generari. Quia per continuam transmutationem, & resolutionem materia facile dissipatur, diuiditur, & commiscetur, & ideo nunquam est omnino eadem, quæ ad generationem iterum assumitur. Deinde quamuis demus

Fr. Suarez tom. 2.

A hoc interdum accidere: tamen agentia naturalia non poterunt eam disponere ad eiusdem animæ introductionem, cum eodem omnino temperamento, & organizatione. Primo quidem, quia proximum agens principale vel erit diuersum, vel aliter dispositum, quam prius fuit, cum semper sit in continua mutatione: variatio autem proximi agentis multum conducit, vt effectus varietur saltem secundum numerum. Secundo, quia licet interdum agens proximum sit idem, vel eodem modo dispositum: tamen cæli influentia, & causarum vniuersarum influxus necessario erit diuersus: & tamen sine dubio multum confert, ad temperamentum constituendum. Tertio, etiam si agens naturale esset omnino idem, eademque materia, non rediret naturaliter idem numero effectus, quia antea fuit, nec eadem dispositio, & organizatione corporis: alias calor eiusdem aquæ ab eodem igne semper esset idem numero, etiam si millies deperderetur, & acquireretur. Similiter quotidianum lumen, quod in aere fit à sole, esset quotidie idem numero. Quæ sunt incredibilia. Et contra Aristotel. 2. de generat. dicentem non redire, quod corruptum est. Et contra rationem. Quia materia, seu subiectum de se est capax ad recipiendas varias formas, seu dispositiones intra eandem speciem. Nam sicut illius potentia passiva de se est indifferens ad plures formas intra idem genus specie differentes, ita & ad plures diuersas numero intra eandem speciem. Quia non est, vnde de se magis limitetur ad vnam, quam ad aliam. Et similiter agens naturale habens virtutem ad aliquem effectum, non limitatur ad vnum indiuiduum, vt per se constat: ergo, quamuis hoc agens sæpius applicetur ad agendum in hoc subiecto, non erit determinatum ad agendum semper idem numero. Quia neque ex virtute sua, neque ex capacitate subiecti habet hæc determinationem. Quin potius ex hoc vltius colligimus, præter hoc subiectum, & hanc virtutem agendi, necessarium esse aliquid aliud, quod determinet agens ad efficiendum hunc numero effectum potius, quam alium. Hoc autem determinans non potest esse, nisi aut Deus, aut tales circumstantiæ, cum quibus agens applicatur ad agendum: aut ipsa natura talis agentis, quæ de se est determinata ad operandum tali modo, & ordine, vt tunc postulet talem actionem, & concursum, postea vero alium, & sic de reliquis. Et inter hos modos hi duo vltimi (qui fere in vnum coincidunt) verisimiliores sunt, nam hoc tribuere soli Deo non est philosophicum. Nam potius causæ secundæ determinant concursum Dei. Præterea, modus ille habet alias difficultates in Theologia, præsertim circa actus liberos, & causalitatem peccati. Ac denique, posito illo modo, ex solius Dei voluntate penderet, quod idem numero redeat, quod precipue intendimus. Si tamen verum est agentia naturalia determinari illo alio modo ad effectus singulares, inde tamen concludimus, postquam naturale agens determinatum semel fuit introducendam hanc formam in hoc subiecto, nunquam ad eandem iterum determinari, etiam si idem subiectum iterum, atque iterum illi applicetur, sed semper ad aliam atque aliam numero distinctam, quia semper circumstantiæ sunt diuersæ.

Dico quarto, per diuinam potentiam non solum hominis resurrectio, sed cuiuscunque alterius indiuidui reparatio possibilis est. Hæc est communis sententia fere omnium Theologorum in 4. dist. 43. vbi late Capr. quæst. 1. Palud. quæst. 2. & 3. & Sotus dist. 44. art. D. Thom. quodl. 4. artic. 5. & opusc. 9. cap. 72. Henr. quodl. 7. quæstion. 16. Et probatur, quia in hoc non modo non apparet implicatio contradictionis: sed neque vlla etiam difficultas. Quia diuina potentia creando aliquam rem, non fuit imminuta: ergo ex parte sua manet efficax ad illam rem iterum creando, & producendam, si ex parte eius non fuerit

R r 3 repu-

Reproductio
eiusdem effe-
ctus numero
cur impossi-
bile in na-
tura.

Arist. libr. 2.
de gener.

Ambros.
August.

1 Cor. 15.

Chrysostom.
10. ad 11.

Responsio
eiusdem nu-
mero homi-
ni in resur-
rectione na-
turali et
impossibilis

D. Thom.
Sotus.

Cuiuscunque
indiuidui
reproductio
diuina vir-
tute possi-
bilis.
Capreol.
Paludan.
Sotus
D. Thom.
Henr.

repugnantia, seu si productione indiguerit, sed postquam illa res defuit esse, quantum est ex parte sua indiget productione, ut sit, & nulla est repugnantia in hoc, quod iterum sit, ergo neque in hoc quod iterum producat, poterit ergo iterum produci. Sed inquit Durandus, in hisce eisdem verbis inuoluit repugnantiam. Nam si iterum est, ergo bis est, ergo habet duplicem durationem, ergo duplicem existentiam, ergo sunt duæ res, & non vna, & eadem. Sed hoc est manifestum sophisma, quod idem fieri posset de homine quoad totum compositum, quod resurgit. Quamuis ergo res, quæ prius fuit iterumque producat, possit dici bis esse, non propterea dici potest habere duplicem durationem intrinsecam, ac permanentem: sed vnā, & eandem, quæ dicitur bis esse, quia non durauit continue, & sine intermissione, sed interrupta fuit, & ita in ordine ad extrinsecam durationem coexistit duabus mensuris distantibus, seu discontinuis, & ideo dicitur bis fuisse. Sed vrgeri potest ex Durando, quia hoc ipso quod interruptur actio, necesse est postea nouam actionem fieri. Tum quia non magis potest eadem numero actio redire, quam motus, aut tempus. Tum etiam quia cum mutata sit habitudo agentis ad passum, necesse est & actionem mutari; ergo & terminum eius multiplicari. Respondetur tamen, primum negando assumptum. Nam sicut Deus eadem numero actione, quali continue durante, & creat Angelum, & per multos annos illum conseruat, ita posset suspendere aliquo tempore illam actionem, & annihilare angelum, eundemque iterum postea eadem actione producere, & conseruare: nullam enim hoc inuoluit repugnantiam ex parte ipsius actionis. Si enim illa actio potest eadem durare per horam integram, quæ est repugnantia ex parte eius, quod duraret seu fiat in extremis partibus hore, & medio tempore non conseruetur? Quocirca (quidquid sit de motu, & tempore, quæ communiter censentur non posse eadem numero redire, quia successiua sunt) quamuis hætenus id non sit demonstratum non tamen est eadem ratio de actione, de qua loquimur, quæ indiuisibilis est, & permanere, ac durare multo tempore potest: & ideo, sicut semel conseruari potest in continuo tempore, ita & bis poni in esse, in tempore discontinuo. Loquor autem de tempore vero, vel imaginario: nam vtraque habitudo sufficit ad intelligendam hanc iterationem eiusdem actionis. Vnde non refert, quod mutata sit aliquo modo habitudo agentis ad passum seu effectum. Quia si loquamur de habitudine, quæ præcedit actionem quasi in actu primo, illa reuera non est necessario mutata, nisi in hoc, quod agens, & passum non intelliguntur coexistere eidem tempori vero, vel imaginario. Hinc autem non necessario fit, ut varietur actio diuina, quia Deus in actione sua non pendet à tempore, nec determinatur ad agendum in circumstantiis extrinsecis, sed à voluntate sua. Si vero sit sermo de habitudine in actu secundo, quæ sequitur actionem productiuam effectus, falsum est assumptum, & petitur principium. Quia hoc est, quod contendimus, scilicet posse effectum esse eundem: & consequenter posse habere eandem habitudinem ad suam causam. Adde denique etiam posse Deum actionibus diuersis eundem numero effectum prius producere, & postea reproducere. Quia cum actio sit via ad terminum, potest diuersis viis ad eundem terminum, tendi. Item actio est dependentia effectus ab agente, potest autem idem effectus pendere pluribus dependentiis ab agente. Sicut lumen idem potest vna actione fieri, ab vno luminoso, & postea conseruari ab alio, quod necesse est fieri per diuersam actionem, seu dependentiam. Et similiter gratia nunc fit à Deo per Sacramentum, & postea conseruatur sine Sacramento, vbi necesse est dependentiam variari. Ratio denique est, quia actio ex natura rei est aliquo mo-

do distincta ab effectu, & quidem modus eius: & ideo variari potest circa eundem effectum numero, sicut alij modi variari possunt manente eadem re, quæ illis afficitur.

Ex quibus etiam colligitur, quam sit futile aliud argumentum Durandi, qui ex eo quod naturalia agentia non possint idem numero reproducere, infert etiam Deum non posse. Quia id, in quo Deus superat naturalia agentia, scilicet quod est virtutis infinitæ, & potest agere ex nihilo, nihil (inquit) confert ad hunc effectum. Sed hoc est aperte falsum. Quia virtus infinita non solum confert, ut possit causa producere meliora, & sine dependentia à subiecto: sed etiam, ut possit agere sine dependentia à tempore, vel aliis circumstantiis. Ex quo prouenit, ut non limitetur ad agendum hic, & nunc hoc indiuiduum, sicut naturalia agentia: sed possit suo arbitrio agere, quod voluerit. Vnde potius potest hoc argumentum retorqueri contra Durandum. Quia ratio, ob quam agentia naturalia non possunt reproducere idem numero, non habet locum in Deo. Quia eius virtus non est ita limitata, nec determinata, sicut creaturarum, nulla ergo ratio est, cur hoc non possit.

Hinc tandem diluitur alia ratio Durandi non minus leuis. Quia si Deus, inquit, ageret ex necessitate naturæ, quamuis esset virtutis infinitæ, non posset idem numero reproducere. Ex hac enim hypothese impossibile quodlibet inferri potest. Quia enim supponitur Deus virtutis infinitæ posset hoc facere, quod secundum se non inuoluit repugnantiam: quia vero supponitur agere ex necessitate naturæ, non posset reproducere idem numero, quia esset determinatus ad vnum, & ideo vel semper ageret idem numero, vel nunquam. Sicut etiam si ex necessitate naturæ ageret, vel simul ageret omnia, quæ potest, vel nihil amplius posset, quam illud, ad quod, aut ex natura sua, aut ab aliquo subiecto determinaretur, vtrumque autem repugnat infinitæ virtuti. Et ita ego existimo illum modum agendi extra se ex necessitate naturæ extrinsece repugnare cum infinitate simpliciter virtutis actiue. Sed de hoc alias, hæc enim sufficiunt contra Durandum.

Ex quibus solum relinquitur fundamentum supra positum inter referendum eius sententiam. D. Thom. autem ibi citatus in postremo loco sumpto ex hac 3. p. non est intelligendus loqui de potentia absoluta, sed de ordinaria, ut ibi (Deo dante) latius dicemus. Eodem modo exponenda sunt alia loca ex 4. sentent. quamuis sint difficiliora: satis tamen est, D. Thomam aliis locis, vbi ex professo rem disputauit, diserte veritatem docuisse.

SECTIO VII.

Vtrum resurrectio hominis sit natura debita, id est, sit à Deo ut auctore naturæ.

Non satis est ostendisse actionem hanc, & potestatem ad illam esse solius Dei propriam, nisi etiam explicemus, an sit tribuenda Deo ut agenti secundum leges naturæ, an vero, ut agenti supra ordinem naturæ. Nam hinc pendet questio, an illa actio sit dicenda supernaturalis, necne? Ad hoc enim non satis est, quod à solo Deo fiat, ut patet de animæ creatione. Videtur autem hic effectus esse à Deo ut auctore conseruatore, aut gubernatore; idque duplici titulo seu ratione. Prima sumitur ex parte ipsius hominis, quia in materia corporis humani post mortem manet eadē capacitas naturalis ad habendam animam, quæ antea fuit. Hæc enim cum à materia ex natura rei non distinguatur, variari non potest, manente eadem materia. Rursus eadem ratione manet in anima separata appetitus naturalis ut corpori vniatur, teste August. libr. 12. Genes. ad liter. cap. 35. & D. Thom.

Durand.
1. Obiectio

Responsio.

2. Obiectio.

Responsio.

3. Obiectio.

Responsio.

4. Obiectio.

Responsio.

Idem numero effectus per plures actiones, seu dependentias pendere potest ab agente.